



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 43. Papa Waldradam excommunicat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Sæculum IX.

A. C. 866.

§. XLIII.

*Papa Waldradam excommunicat.**Sup. §. 41.**no. 8. Conc.**p. 495.*

Interim Papa, quid Constantinopoli ageretur, ignarus Lotharium Regem ad officium compellere conabatur. Cum ex Arsenio Legato suo reduce comperisset, quam procaciter ei illusisset Waldrada, excommunicationis sententiam secunda Februarii anno octingentesimo sexagesimo sexto in eam pronunciavit, quam ad omnes Episcopos Franciæ misit. Verum postea nescius, an hæc epistolæ Episcopis fuissent redditæ, alteram scripsit, decima tertia Junii ejusdem anni octingentesimi sexagesimi sexti, Indictione decima quarta, datam. Hæc ad omnes Italiæ, Germaniæ, Neustriæ, & Galliæ, id est, totius Imperii Francorum Episcopos dirigitur. Exponit Pontifex excommunicationis causas, nimirum, Waldradæ cum Rege Lothario adulterium, & quod nullum daret poenitentiae indicium, contumaciam ejusdem feminae, quæ, cum Romam venire, & vitæ suæ rationem reddere debuisset, in Provinciam, regionem Regi Lothario subiectam, commeasset, modumque ad eum redeundi quæreret, quo lasciviam rursus, & dominandi libidinem expleret, quia etiam quædam Monasteria regere diceretur. *Tandem sunt, qui affirmant,*
inquit,

inquit, *eam continuis machinationibus vi-* Sæculum IX.
A. C. 866.
tæ Theutbergæ Reginae insidiari. Igitur Pa-
pa Episcopis mandat, ut in suis Diocesi-
bus denuncient, excommunicatam esse
Waldradam, Fautoresque ipsius, donec
se pœnitentiæ & Sacræ Sedis iudicio sub-
misisset. Subjungit: *Si quis dicat, Re-*
gem Lotbarium ejusdem peccati reum ean-
dem quoque pœnam sustinere oportere, ille
nos consulat, & rationem reddemus. Vo-
bis vero omnibus acceptas has litteras ad
Metropolitanos mittere, & exemplaria
descripta in cunctas circumjacentes regio-
nes spargere curæ sit.

Adventius Episcopus Metensis Regem *Ap. Baro.*
Lotharium Dominum suum apud Sum- 866.
mum Pontificem purgare non dubita-
vit, data epistola, in qua excommunica-
tionem in Waldradam pronunciatam ap-
probat, & dicit: *Ex quo Arsenius Lega-*
tus tuus discessit, Rex Lotbarius ad Wal-
dradam se non contulit, non ei locutus est,
non vidit, sed ei significari jussit, ut Ro-
mam, quemadmodum præcepisti, proficis-
catur. Ceterum Theutbergam Reginam
iis modis, quibus convenit, habet. Illa
cum ipso officio Divino interest, eam Rex
ad mensam suam admittit, & ad tori con-
jugalis consortium. Præterea in familia-
ribus mecum colloquiis nihil affert, quod
non promptissimam voluntatem tuis con-
siliis & Auctoritati obsequendi demonstret.

Sæculum IX. Ipse Lotharius, data ad Papam epistola
 A. C. 866. admodum submissa, mendacii arguit, qui-
 cunque dixerit, ipsum cum Waldrada fu-
 isse, ex quo Arsenius discessisset, aut illa
 ex Italia rediisset. Deinde Papam rogat,
 ne aliquem æqualis secum potestatis eve-
 hat, & suo Regno præficiat. Nimirum
 timebat, ne, si a Papa excommunicare-
 tur, patrum sui captata occasione regno
 se spoliarent. Id etiam cum metuerent
 Episcopi in Regno Lotharii, datis litteris
 ad Episcopos in Regno Caroli existentes,
 falsitatem demonstrare conati sunt sparsi
 rumoris; Lotharium a Subditis suis con-
 temni, & nihil propius esse, quam ut om-
 nes ab eo deficerent. In eadem epistola di-
 cunt, se Regi suo in extremis fideles fore,
 quod sperarent, peccata juventutis sue
 emendaturum, & Episcoporum consiliis
 morem gesturum. Tum comminantur,
 ab Ecclesiæ communionem a se excluden-
 dos, quicunque Regnorum pacem tur-
 bare aggressi fuissent.

§. XLIV.

Epistola Papæ in Causa Wulfadi.

Ann. Bert. Nihil vero actum, quod paci publicæ
 866. adversaretur, sed potius cum Reges
 Carolus & Lotharius, mense Julio hoc an-
 no octingentesimo sexagesimo sexto, ad
 S. Quintini Fanum convenissent, foedera,
 mutua fide data, confirmarunt, atque
 Lotha-